

quantur, Cod. sive bis que subsequuntur, Ed. *consideratio tractatio quae*, Cod. *consideratio tractatioque*. Cap. 3. Ed. *ut esset totius*, Cod. *ut etiam totius* &c. Illud omittere non debeo, praetexta esse Codici Folia duo, quibus de Vorum et Rerum Significationibus tractatur totidem Articulis, quorum prior insit: *Diligens scrutator sacri eloquii* &c. alter: *Discerne et considera diligenter* &c. uterque plane e mente Hugonis, quin et eadem phrasi, qua is *Excerptor. Prior. L. II. c. 5.* edit. cit. T. II. p. 342. utitur. Videbit igitur Operum Hugonis studiosior, quo illi Articuli pertineant, et an inter *Avendora* sint censendi. Ceterum alia integri hujus Operis Exemplaria jam dabo.

CCCCLXIV.

- U. 622 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 166. f. per duas columnas scriptus, rubro distinctus, et testamento Thomae nostri *Hasselbachii* olim addictus Collegio B. V. M. *domus rubee rose apud fratres predicatores in Wyenna* continet Hugonis de S. Victore Can. Reg. Opus in II. *Libros* distinctum de *Sacramentis*, quo vocabulo non hic Sacramenta veniunt Ecclesiae, sed arcana Dei in creando et reparando Homine Consilia. Prooemium incipit: *Librum de sacramentis cristianae fidei studio quorundam scribere compulsus* &c. Sequitur *Librorum, Partium et Capitum* Conspectus, ut in Edit. *Rothomag. Opp. omn. T. III. 1648.*

p. 482. f. demum Opus ipsum, cujus Textus ob lectionis varietatem non negligendus foret, si quis Hugonis *negitmotegos* et ordinatius edendi consilium olim susciperet. De hoc Populari nostro e *Blankenburgiorum* Stirpe a. 1097. progenito haec ad calcem adduntur. *Hugo de sancto Victore Parisius* claruit, qui de *contemplacione et moribus multa scripsit*. Huic in extremis laboranti hostiam non consecratam Monachi propter vomitus periculum attulerunt sacram eukaristiam simulantes, quod Hugo per spiritum intelligens exclamavit: *Cur me fallere fratres voluistis? Iste non est Dominus meus ihesus christus. Qui territi corpus christi attulerunt. Sed Hugo propter vomitum communicare non audens sic orabat: Ascendat filius ad patrem, et cum eo spiritus meus ad eum, qui dedit illum. Quo dicto Eukaristia disparuit, et Hugo feliciter expiravit. Idem Hugo vixit sub Imperatore Henrico quarto, qui obiit Millesimo centesimo vigesimo quinto. Alii volunt 1140. Ad Codicis calcem praeter alia quaedam Notata fusior adscripta est Quaestio: *Vtrum per lapsum in novum peccatum mortale omnia peccata prius commissa (remissa) in contritione reddantur.**

CCCCLXV.

- Codex chartaceus lat. Sec. XIV. R. 2297 Folior. 191. f. per duas columnas commode perscriptus et minio distinctus aliud est ejusdem Operis Exemplum integrum, cui prae

1153

D O G M A T I C I.

1154

praescriptum: *Hunc librum dedit Dominus iohannes hannhaupt de Harrazz ad Maxrbach. Qui legis in eo ora pro eo. Et subscriptum: Explicit Hugo de sacramentis de sancto victore finitus per Johannem de Harrazz Monachum huius domus videlicet vallem omnium sanctorum. Abolita nunc est haec Carthusia Viennae adfita. Nomen Harraras pluribus infer. Austriae locis commune est; non enim Johannes iste e vetusta Hrzaniorum de Harraras Stirpe fuerit. Ad calcem adjecta sunt eadem de Hugonis Vita, quae superiore Codice.*

CCCCLXVI.

R. 3041 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior 395. f. per duas columnas minutius sed nitidissime scriptus, minio distinctus, et principio deauratus haec praefert: *Hunc librum dedit monasterio Sancte dorothee wien. dominus Andreas Cancellarius domus Austriae fundator praefati monasterij Canonice regularium sancti Augustini. Itaque post annum 1410. quo dictus Andreas cognomine Plank, simul Garfensis Parochus ejus Canonice fundamenta jecit. Inest vero huic Libro I. Hugonis de S. Victore Opus de Sacramentis jam pluries a me relatum, et impressum T. III. Opp. Rotomag. 1648. p. 482. f.*

II. fol. 126. succedit Liber sancti Augustini contra quinque Hereses. Initium est: *Debitor sum fratres fateor non necessitate &c. Dicitur etiam contra quinque Ho-*

stium Genera, et ab Augustino abjudicatus legitur nunc in Adpend. T. VIII. Edit. Maur. p. 1.

III. fol. 137. sequuntur CLXXX. Augustini Epistolae, sed in iis est subpositum Ejus cum Bonifacio commercium constans Epistolis XVI. et Epistola ad Licentium edit. Maur. T. II. col. 38. hic in III. divisa est. Praeterea Epistola nobis XI. ad Italicam inscribitur; est vero nihil aliud, quam Compendium prolixae Epist. seu Libri ad Paulinam de videndo Deo, ad quem notant Mauriani col. 495. etiam sibi Compendium istud in Mss. occurriffe. Epistola nobis XXXII. Maur. col. 42. ad Paulinum a Miniatore perperam et Therasiae inscripta est. Epistolam nobis CLXXVI. Maur. col. 853. ad Pascentium idem Librum inscripsit. Ceterum Patrum Epistolas in Codicibus nullo ordine vagantes cum Editis contendere, non parum habet molestiae.

IV. fol. 309. Ejusdem Libri IV. de Doctrina Christiana praevio loco e Retractionibus, prout extant Edit. cit. T. III. P. 1. col. 1.

V. fol. 342. Epistola seu Liber Ejusdem ad Dardanum de Praesentia Dei, ut T. II. col. 678.

VI. fol. 345 — 46. Excerpta II. ex Ejusd. Tractatibus de Oratione Dom. et de Eleemosyna.

VII. fol. 347. Epistola prolixilla, cujus supra memini, ad Paulinam de videndo Deo, ut Edit. cit. T. II. col. 473.

C 2

VIII.